EPISTOLA

PASTORALIS

AD

CLERUM FANENSEM.



VINDOBONÆ MDCCCIV.

ANTONIUS GABRIEL COMES SEVEROLIUS

DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPUS PETRENSIUM, EPISCOPUS ADMINISTRATOR ECCLESIAE FANENSIS EIDEM APOSTOLICAE SEDI IMMEDIATE SUBJECTAE, PRAELATUS DOMESTICUS PONTIFICIO SOLIO ADSISTENS, NEC NON APUD AUGUSTAM AULAM CAESAREAM CAESAREO-REGIO-APOSTOLICAM CUM FACULTATIBUS LEGATI DE LATERE NUNTIUS APOSTOLICUS

CLERO SUO FANENSI.

Tertius agitur annus, ex quo auctoritate Summi Pontificis, et divino, ut reor instinctu, impares quamquam viribus, regendæ huic Apostolicæ Nuntiaturæ præpositi sumus. Cujus oneris etsi maximis distineamur occupationibus; tamen ne brevi quidem tempore a vobis, Venerabiles Presbyteri, vel a gerendis istius Ecclesiæ negotiis cogitationem nostram, imo studium, curam, co attentionemque, quoad fieri potuit in tanto locorum intervallo, avocavimus. Locupletes testis sunt tum Venerabilis in Christo Frater R. P. D. Episcopus Tiberiadensis, qui in obeundo Vicarii Nostri Generalis munere suos labores summa cum laude impendit, tum litteræ, quas nunc ad vos eo mittimus con-

silio, ut nostram erga vos non institutam, sed inveteratam benevolentiam renovemus, et duo, quæ maxime Nobis cordi sunt, Ecclesiasticæ disciplinæ officia denuo commendemus. Ea non difficile quisque vestrum præsentire potest, antequam verbis declaremus, si modo vel paululum adverterit, duodeviginti per annos, ex quibus gravissimo Episcopatus munere fungimur, fuisse nihil Nobis antiquius, quam ut cuique ex Clero et coram, et scriptis *Orationem* proponeremus, et *Studium*. Quæ duo et maxima, et sanctissima, Venerabiles Presbyteri, quum Conciliis, et Patribus auctoribus sint veluti fundamenta, quibus Ministerii Nostri rationes, actusque nituntur, Nobis commemorare jucundissimum est. Eorum enim commemoratione fore confidimus, ut Nostra, et vestrum omnium magis, magisque erigatur voluntas, animique adolescentis Cleri, qui præcipuus harum literarum scopus est, *Orationis*, et *Studii* desiderio inflammentur. Id in causa fuit, cur nihil jam inde a primis Episcopatus Nostri temporibus neglexerimus, ut juvenes in sortem Domini vocati rerum divinarum meditationi assuescerent, sanctisque cognitionibus imbuerentur. Et, Deo quidem opitulante, plerosque Nostræ expectationi, et diligentiæ respondisse jam vidimus. Quod si qui vel a pristina vivendi consuetudine recesserint, vel callido ingenio Nostram solertiam fallere ausi sint, nullis Nos conscientiæ stimulis pungi fatemur, cum ad eorum mores emendandos patiens, et constans Nostra fuerit agendi ratio; quin imo non memores interdum dignitatis, numquam immemores paterni amoris, et caritatis in eos etiam muneribus alliciendos totum animum

Nostrum, quamvis frustra, profudimus. Unum est, quod Nostrum, Nostrique Cleri mœrorem solatur, eos scilicet veritate, quam didicerunt a pueris, ita tandem incitari posse, ut ad meliorem frugem revertantur. Igitur, duce experientia, cum a suscepto consilio nunquam Nobis recedendum esse arbitremur, hæc de *Oratione*, et *Studio* decrevimus statuenda, quorum executionem R. P. D. Vicarii Nostri Generalis caritati, prudentiæ, dexteritati mandamus.

Ineunte mense Novembri volumus juxta antiquum morem Minores Studentes Clericos sese Examinatoribus ad id ante delectis sistere, ut primum de frequenti Confessione testimonium afferant, deinde quibus utantur in quotidiana meditatione Libris, tum de meditandi ratione, tum de cultura virtutum doceant, quæ in eorum maxime cadunt personam. Hac data occasione curent Examinatores, ut, qui pietate, cœlestium rerum amore, caducarum, fluxarumque contemptu cæteris præcellunt, eos in Libellum Nobis exhibendum referant, ut cognoscere, et judicare possimus, quos vel eligere ad Ministeria, vel honore, et præmio prosequi debeamus.

Hic vos, qui vel Parochos geritis, vel a Confessionibus Clericorum estis, vel Directoris in eorum Congregatione, locum tenetis, vos hic enixe deprecamur, ea, quae summa decet muneri vestro, diligentia, et cura hujusmodi Adolescentes, qui spem omnem et Nostram, et Ecclesiæ sustinent, Nostrorumque divinorum officiorum Coopecato-

res olim instituentur, pro vestra caritate amantissime informandos fusceptatis. In quo quidem tanti momenti negotio id vobis constituite, ut, dum eos tamquam manu in vias Domini deducitis, eorum animos a sæculo, ejusque pravis oblectamentis, et operibus divellatis, ad actusque pietatis quotidie eliciendos sedula ope excitetis. Quare peropportunum nobis videtur futurum, iis virorum, qui in Clericatu strenue, sancteque vixerunt, Sanctorum videlicet Caroli, Francisci Salesii, Aloysii, Stanislai, Nepotiani, et Venerabilium Tendarinii, ac Ligorii, aliorumque id genus facta proponere, quæ studiose, assidueque perlegant, et quorum exempla imitatione in se transferant.

Explorata morum ratione, quæ tota in *Oratione* continetur, quantum in scientiis, et disciplinis, in quibus versantur, profecerint, eisdem Examinatoribus probare debebunt Clerici. Qua de re cum loquimur, primum reminiscantur omnes, quam Nobis semper in amore, et deliciis fuerit latina lingua. Non enim satis habuimus eam in vulgata a Nobis Instructione sanctam veluti linguam studiosæ juventuti collaudare, sed, accitis in ea peritis apprime viris, tam in Urbe, quam in Diœcesis Oppidis, ut rite traderetur, curavimus, Nosque ipsi, quamquam negotiis sæpissime impediti, pueris per aridas Grammaticorum salebras versantibus aures adhibere, animum addere, præmia, laudesque tribuere consuevimus. Neque profecto est, cur Nos laboris, patientiæque pœniteat. Inter enim Presbyteros numerantur non pauci, qui in scribendo tantum elegantiæ, et concinnitatis ponunt, ut non parum pro-

fecisse commonstrent. Attamen cum pleraque pars eorum, qui studiis vacant, hanc propter causam latinum sermonem minus diligenter addiscant, quod non satis illius dignitatem, necessitatemque norunt, præcipimus, ii, quibus de juvenum in literis progressu judicium ferendum est, hac in re severe agant.

Quid in cæteris disciplinis valeant, ad quas animum applicuerunt adolescentes, facile cognoscetur, modo Nostrum institutum teneatur; atque ubi nomen eorum, ætas, et Ordo inscribi solet, ibi etiam de cognita ingenii facultate testimonium referatur, ex quo R. P. D. Vicarius Noster Generalis intelliget, quales futuri, cuique deinceps scientiæ tradendi sint.

Neque solum ad Clericos, qui Minoribus, vel Sacris Ordinibus initiari cupiunt, sed ad recens etiam constitutos Sacerdotes hanc Nostram cogitationem, curamque convertimus. Namque ad Sacerdotalem Dignitatem evecti hi morum innocentia, et doctrinæ sanctitate debent ita fulgere, ut verbo, et exemplo alios viam veritatis edoceant. Quantæ sint Nobis curæ novella hæc Ecclesiæ germina vix animo, et cogitatione consequi, nedum oratione complecti licet.

Absit, ut suspicemur, eos ad res divinas, sanctorumque scientias resides esse, segnesque. Ex eorum nihilominus operibus nullo quisque negotio conjecerit, utrum in cœlestium *Meditatione* assidui sint. Etenim nemo vel

fanctissimam, quam tradidit Christus, doctrinam, vel acerbissimam illius necem, et infinitam in hominum genus misericordiam, vel ineffabilem ministerii sui magnitudinem animo agitare possit, cujus uberes religionis non exstent, et pietatis fructus, qui fallaces mundi blanditias, promissa, voluptates, negotia non aversetur; qui sui ipsius odio exardescens ad cohibendas cupiditates, procacesque sui corporis sensus sibi bellum ipse non inferat; qui ad obeunda sanctissime Sacerdotii officia non accendatur; qui non prædicatione populum, non institutione pueros, non consolatione infirmos reficiat, et foveat; qui denique laudibus, et canticis universam non exhilaret Ecclesiam. Hoc unum dicimus, eos tanta S. Spiritus unctione perfundi, qui *Deprecationis* studio, et *Meditationis* tenentur, ut vi superna quodammodo acti ad quaslibet virtutes colendas ferantur, et convolent. Hi quidem ex *Oratione* fructus, et *Meditatione* necessario promanant, quos qui non tulerit Sacerdos, cum a divinarum rerum contemplatione alienum esse, mundique avocamentis implicitum cuilibet etiam sæculari homini facile est dijudicare. Quum itaque salutare id genus exercitium in Sacerdotibus recens institutis desiderari minime patiamur, quoties per annos quatuor ab inito Sacerdotio ex veteri præscripto Nostro rationem studiorum reddere debebunt, toties de piis eorum *Meditationibus* erunt interrogandi. Neque hic supervacaneum erit a novis Sacerdotibus exigi, ut R. P. D. Vicarium Nostrum, et Examinatores doceant, se spiritualibus Exercitiis vel domi Confessario suo, vel in Claustris aliquo Religioso Viro moderante, quotannis vacasse ex peculiari

obli-

obligatione, quadriennium duratura, iis vix primum in Sacerdorum Ordinem inscriptis a Nobis imposita. Quamquam enim qui Sacerdotio initiati sunt, propter muneris, quod acceperunt, dignitatem, sanctitatemque in iis omnia sanctioris vitæ ornamenta putamus existere, quæ ad multiplicem cœlestis officii splendorem necessaria esse videantur; hoc tamen utendum consilio censemus, ne non solum primis ipsis Sacerdotii annis præ tanta temporum, quibus vivimus, inclinatione, reique christianæ perturbatione defervescat, sed ut hujusmodi adjuta, ac firmata præsidio eorum magis, magisque augeatur, et roboretur virtus.

Quo quidem desiderio incensi vos, qui florenti adhuc ætate pondus Angelicis humeris formidandum sustinetis, vos modo, juvenes, alloquimur, et vestræ, non aliorum caritati vos ipsos commendamus. Cavete, ne Diaboli versutia, ne circumvenientibus sæculi illecebris, ne juvenilis animi æstu in corde vestro, qua imbuti fuistis, Spiritus Sancti gratia unquam turbetur. Mementote dignitatis vestræ, qua eruti de potestate tenebrarum harum constituimini in Dei lumen, et regnum. Vos ad ea, quæ Dei sunt, adsciti; vos Christi in terris ad totum genus humanum a servitute vindicandum legatione fungentes; vos gens sancta, populus acquisitionis, regale Sacerdotium, summo honore, cœlestibus charismatibus cumulati uno vestro Creatore in Sacerdotio inferiores estis. Ad aram enim quid agitis? Quid, nisi quod, cum deponendi corpus, destinataque subeundi pro nostra salute supplicia tempus instaret, celebri illa Cœna, quam Discipulis suis po-

strenuum dedit, Christus ipse fecit? A vobis quid petit, quid optat populus? Nonne, ut erudiatur Sanctorum scientia? Nonne, ut a fœda peccatorum labe convalescat? Nonne, ut ad adeundas, et exercendas virtutes probe informetur, et in rerum angustiis, et periculis sustineatur, et toto vitæ suæ curriculo veluti manu regatur, atque in supremo agone recreetur? Quæ quidem omnia ad tantum vos dignitatis fastigium evehunt, ut a Divo Hieronymo *Mundi Salvatores*, et *Mediatores Deum inter et hominem* a Divo Bernardo appellemini Sed hinc heu! quot, et quanta onera proficiscuntur. *Mundemini*, ait Propheta, *qui fertis Vasa Domini. Quanto mundiores*, subsequitur Petrus Blesensis, *esse oportet, qui in manibus, et corpore portant Christum?* Quibus Apostolus præcipit--*glorificate, et portate Deum in corpore vestro.* -- Qui populo præficitur, nonne debet etiam immaculatam vitam degere, ut omnes in ejus vitam, quod advertit Chrysostomus, *tanquam in aliquod exemplar excellens intueantur?* Ad tantas vero obligationes explendas, quamnam, Dilectissimi, aptiorem esse, breviorem que putatis viam? Una est, Nobis credite, una est divinarum rerum *Meditatio*. Hæc eam accendit, alitque charitatem, qua ad debita Deo, et hominibus officia præstanda suaviter allicimur, abripimurque. *Orate* igitur, Dilectissimi, sine intermissione *Orate*, et *Meditamini*.

Postquam de recens factis Sacerdotibus cognoverint Examinatores, quæ de pietate, et vitæ sanctitate cognoscenda sunt, quo in Dogmatum, Morum, et Canonum doctrina processerint, quærendum est. In qua re

quatuor observanda decernimus: 1) ne satis habeant Examinatores, a juvene Sacerdote de una, vel altera quæstione disceptari; sed quatuor ex ea facultate, cui operam dedit, Tractatus proponi imperent; tametsi plures si quis in medium attulerit, ei summo merito, et laudi tribuetur 2) ut Tractatibus semel propositis, quorum memoria in Examinum Libro conservanda est, alii quatuor anno insequente adjungantur, ea tamen lege, ut Examinatores experiri possint, an juvenis Tractatus superioribus annis expositos mente retineat: 3) si quem rudem, et ignarum deprehenderint, humanissime cohortatum, intensiorem ut ad literas operam conferat, senos post menses sui studii fidem facturum redire jubeant: 4) denique Examinatores ne percontandi locum prætermittant, quo juvenes conveniant de rebus vel ad Deum, vel ad mores pertinentibus disputaturi, quo Moderatore in disputationibus utantur, utrum Casuum, quod ajunt, Resolutiones assidue exequantur, et Nostra in his plane imperata faciant. Ex quibus privatis exercitationibus tantum utilitatis provenit, ut ex divino eloquio in iis non modo juniores versari, sed seniores quoque Presbyteros bonum sit, *In multitudine Presbyterorum sta, et sapientiam illorum ex corde conjunge, ut omnem narrationem Dei possis audire, et proverbia laudis non effugiant a te.*

Quod si quis in Sacerdotum numerum lectus Institutoribus, et scientiis vale dixerit, Beneficio forsan contentus, quod tempore sui Clericatus obtinuit, ad Jesu Christi pedes provolutus mala consideret ex hac vitae ratione pro-

ficiscentia. Honore enim, et redditibus ab Episcopis Clerici cumulantur, ut impensius, commodiusque Sacris Disciplinis tempus dare, et in vinea Domini insudare possint. Quisquis iste sit, et quocumque fruatur Beneficio, a Divo Leone Magno discat, inscitiam in Sacerdote, cum messis multa in Ecclesia operariorum manibus semper indigeat, *nec excusatione dignam esse, nec venia.* Quamobrem R. P. D. Vicarii Nostri, et Examinatorum erit, hujusmodi juvenes Sacerdotes, si qui sunt, comitate, benignitate, hortationibus, precibus etiam ad officium revocare, iisque indicere, ne cum dedecore Ministerii otio, desidiaque torpescant, ut sex elapsis mensibus sese iterum offerant suorum studiorum rationem reddituri. Quod si studere detrectaverint, eodemque otiose vivendi genere insisterint, acriores adhibeantur monitiones, quibus nisi obtemperaverint, ut a segnitie, qua turpiter diffluunt, retrahantur, graviorem in eos pœnam decernemus.

Quemadmodum vero præ cæteris colenda est morum disciplina, ita omnes adesse cupimus, qui ad illam instituuntur, sive de mandanda parochiali Cura, sive de proposito a Nobis præmio per R. P. D. Vicarium Nostrum Concursus denuncietur. Dum enim honori, et famæ serviunt, æmulatio excitatur, studium, et exercitium augetur.

Et quoniam Concionatores etiam desiderat Ecclesia, qui populum instruant, rectum errantibus salutis iter ostendant, et bonos in Christianæ Religionis officiis contineant; juvenes idcirco inter Sacerdotes deligantur, qui ad concio-

nandi munus appositi videbuntur, ut sermones contextant, qui, ante in Nostro Episcopali Sacello coram R. P. D. Vicario Nostro, et Censoribus recitati, in Ecclesia deinde Seminarii, vel alibi, prout res postulabit, festis diebus habeantur.

Sub hæc fore speramus, ut R. P. D. Vicarius Noster pro eo, quo Sacras Litteras, et Ecclesiæ utilitatem, et gloriam amore prosequitur, juvenum, audito Professorum consilio, studia moderari, eos commonefacere, hortari, scholas sæpius adire, omnesque discipulorum Classes ad examen vocare velit.

Reliquum est, ut Seniores ex Clero, qui hæc eadem alias lubenti animo acceperunt, modo non tantum pari voluntate accipiant, sed adjutrices manus admoveant, felici ut exitu perficiantur. Nec dubium est, quin id assequamur, si utilitati Ecclesiæ prospicientes Nos, qui vel dudum senuimus in Sacerdotio, vel propediem senescemus, adolescenti Clero præluceamus exemplo, uberesque cum *Orationis*, tum *Studii* fructus proferamus. Quibus utrisque rebus deesse non possumus, quin ab officio desciscamus, offensionesque ponamus in Ecclesia Dei. Nam sine *Meditatione* Sacerdos, et sine *Studio* doctrinae quid est?

Recordemur dignitatem nostram, et conditiones, quibus in Ecclesiam aditus nobis est patefactus, attente consideremus. Væ! illi, cujus moribus dignitas obscura-

tur, cujus vel licentia, vel otio pacta franguntur. Quid Judici exprobranti sui obitus die respondebit, qui neque *Meditatione*, neque *Studio* Sacerdotii splendorem conservavit? Vos ipsi judicate.

En, Dilectissimi, quod pro Nostro munere, et pro istius Ecclesiae bono vobis scribendum duximus, eoque libentius, quo jucundiorem memoriam Nominis Nostri apud vos extare, deque Nostra erga vos propensione voluntatis neminem vestrum dubitare non ignoramus. Quapropter Nobis persuasum est, non modo vos has nostras litteras cum voluptate, et desiderio excepturos, sed eo totas animi vires collaturos, ut sapientia, virtute, studio, quibus praediti estis, spem Nostram tueamini. Quod dum operimur, vos per fidem, religionem, et Sacerdotium vestrum, et per Viscera J. C. D. N. rogamus, atque obtestamur, ut *Orationis* spiritum Nobis a Deo Optimo Maximo impetretis, quo tanto magis indigemus, quanto ampliori, graviorique loco positi sumus. Pastoralem interea toto animo vobis Benedictionem impertimur.

Datum Viennæ ex Aedibus Apostolicæ Nuntiaturæ tertio Nonas Octobris 1804.

Antonius Gabriel
Archiep. Petrensis, Episcopus Administrator Ecclesiæ Fanensis, Nuntius Apostolicus

Aloysius Poggius a Secretis
Apostolicæ Nuntiaturæ.